



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Petrus Biuerus Doctoribus Iansenianis. S. P. D.**

**Bivero, Pedro de**


**[1641]**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73809)




Th. 447a




D. V

5.



15  
2



Petrus Bincrus  
Doctores Iansenianis. S. P. D.

AD REM. AD REM.

QVOD NVLLA RES EST, OMNINO  
NIHIL EST. S. AVG.



Ad rem, amici, ad rem. Maledicentiã non certo; minùs etiam in istiusmodi certamine superare volo: ista me docet S. Augustinus Hipponensis, non ille Iansenianus. Habete istam gloriam, nemo inuidebit.

De prostribulis & meretriculis meliùs scurræ respondent, quàm religiosus Sacerdos. Cùm vos ipsos duobus locis meretriculas faciatis, par pari respondeat.

Ad quæsitã nostrã iam pridem responsum oportuit, & tam Præconis quàm Declamatoris ineptis vocibus parcatum. Iterum ergo

Quæro primò, Cur Iansenius vester domesticis typis clanculum molitus est edere suum Augustinum? An non hîc valet illud Ioan. 3. qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera eius? Sed enim timebat ne liber semicusus & informis ab aduersariis opprimeretur. Quid prudenter potuit time- re, nisi solam prohibitionem Pontificis? ergo sibi erat conscius talem se doctrinam videre, qualem meritò Pontifex prohiberet.

Quæro secundò, An non eadem causa Iansenistas impulerit ut posthumum fecerunt clanculò imprimerent, adactò, ut taceret, ad iurandum Typographo, contemptâque prohibitione Pontificiã?

Quæro tertio, Cur ad publicas nuper disputationes inquirendæ veritatis gratiã non accessistis? cur per noctem Sociorum vestrorum, aliorumque ædes percurfastis, obtestantes per omnia sacra & profana ne posttridie in arenam descenderent?

Quæro quartò, An dum facinus indignum clamatis Episcopum imperi, non recordemini Bellarminum Cardinalem & Archiepiscopum fuisse? cuiquam notam inurat Iansenius, alibi patet.

Quæro quintò, Cur sub Typographi nomine ex latebris vestra conuicia in Theses iaculamini? An pudet vos nominis vestri, an facti? Non est Academia Louaniësis quæ Iansenium propugnat; quin pars illius dignior & sanior impugnat: pauculi sunt anonymi, & tamen noti, qui omnia turbis & clamoribus miscent.

Quæro sextò, Cur solis ferè conuiciis pro vestro Iansenio agitis in Theses? cur pauca verba arroditis, rem negligitis?

Quæro septimò, Quid peccatum in Thesibus, quòd ibi doctrina Iansenij cum heterodoxorum doctrina componatur? Eamdem cum Concilio Tridentino, & sanctis Patribus compositam videtis: Quòd verò magis consentiat cum Caluino & heterodoxis, id sibi impudet Iansenius; ipsiusmet verba sunt. An qui duas imagines iuxta se inuicem ponit, producit inter illas similitudinem? An non ex naturã ipsis illa inest? cessate igitur queri de iniuriã, aut discrimen ostendite.

A

Quæro



<sup>2</sup> Quæro octauò, Cur postquam triennio mortuus esset Iansenius, tunc denique prima laudatio funebris habita sit? An non ideò vt cum satis valida argumenta thesibus non possitis opponere, per Declamatorem, quemadmodum paullò antè per Præconem, obstreperetur?


Quæro nonò, An adeò sterile laudationis argumentum præbuerit Iansenius, vt magna orationis pars in Societatem inuestiua esse debuerit?

Quæro decimò, Quâ ratione Iansenius & Ianseniani à periurio excusentur? Ratio dubitandi est, quia quasdam propositiones à duobus Pontificibus dānatas in terminis docent, quas tamen solenniter eiurauerunt iuxta receptum morem Academiæ Louanienfis.

Quæro vndecimò, An existiment Ianseniani Iansenium suum, qui neque Philosophiam, neque Theologiam, vnquam docuit, sapuisse præ omnibus Doctoribus antecedentibus, Adriano VI. Pontifice, Driedone, Tappero, Dorpio, Lato, Ioanne Leonardo Hasselio, Molano, Hunnæo, seniore Iansenio, Cuyckio, Stapletono, Clario, à Castro, Maldero, Ioanne Wiggers, Mercero, & aliis, qui Louanij per annos plurimos summâ cum laude docuerunt? Videntur existimare, quia contra hos omnes in vnus iurant verba Iansenij.


Quæro duodecimò, An Ianseniani affirmâtes *neminem è Belgio à ceterum fortè & amplius annis omnes veri Episcopi, quas Paulus ad Tim. & Tit. describit, dotes proprius in se expressisse*, quàm expresserit Iansenius, qui Episcopus non toto biennio fuit; iniuriam non faciant Matthiæ Houio, Maximiliano & Guilielmo à Bergis, Ludouico Berlaymontio, Ioanni Sarraceno, Francisco Buissere, Sonnio, Torrentio, Miræo, Maldero, Curtio, Druitio, Rodoanio, Marthiæ Lambrechts, Iansenio Flandro, Lindano, Ritouio, Petro Simonio, Ioanni Visschero, Antonio Hennin, Vendeullio, Michaëli d'Esne, Gerardo de Americour, Ioanni Six, Blazæo, Paulo Budotio, Antonio Haueto, Francisco à Wallon-capelle, Cuyckio, Iacobo & Nicolao à Castro, Metfio, Crabelio, Gifberto Masio, Zoefio, Ophouio, Ioanni à Stryen, aliisque quamplurimis; vt taceam Episcopos adhuc viuentes, ipsosque in primis Archipræsules Mechliniensem, & Cameracensem, quorum hic annis iam 29. ille annis 25. munus Episcopale gesserunt?

Ad rem. Si viri estis, rationibus agite; pueris ac muliereculis relinquitur querimonias. Patent Scholæ: cùm animus vobis fuerit, qui adhuc defuit, iterum ac sæpius disputabitur.




Polco  
De...  
...  
...





Folio  
D. 1. 1. 1.  
T. 1. 1. 1.  
D. 1. 1. 1.





Index  
De...  
T...  
T...







BOSCO  
DE DEO  
ET FIDE

Th  
447a

Bosco  
De Deo & Fide  
Item  
Theſes varia.  
D IV  
7